





13. a.

I. N. SS. T.  
THESIUM PHILOSOPHICARUM  
DODECAS,  
PANCRATIUM  
LOGICO-METAPHYSICUM

adumbrans,

Quam  
SUB TUTELA  
VIRI

*Nobilissimi, Amplissimi, atq; Excellentissimi*

DN. CHRISTIANI  
DONATI,

Log. ac Metaph. Prof. Publ.

Celeberrimi,

*Patroni, ac Praeceptoris sui aetatem venerandi,*

publicae disquisitioni

subjiciet

A. R.

M. DANIEL OTTO KEGELIUS,  
Qvedlinburgensis Saxo.

*In Auditorio Majori,*

D. 28. Sept. clō Ioc LXXXIII.

WITTENBERGÆ,

Typis JOHANNIS WILCKII.



Σὺν Θεῷ.

I.

**H**anciorum Metaphysicae non ultimum est, quod *Regina* salutatur, & *disciplinarum* quasi *Loricæ*, & *custodia*. Id enim ex *Pancratio* intelligendum est, quod illa πάν τὸ κράτος μαθημάτων habet, atque sic, Παντοκράτορ ὅμοιος instar, universale Dominium sortitur. *Arist.* l. 5. *Metaph.* c. 1. l. 1, *Post.* c. 7. *J. Martin.* *Metaph.* lib. I. *Exerc.* II. *Th.* 2. ex *Thoma* & c. *Scharff.* *Theor.* *Transc.* *Disp.* I. §. 36. p. m. 25. & c.

II.

Hoc Entis ratio declarat, quae sub generali conditione omnia disciplinarum entia includit, non tamen confundit, ut contradicentium mens est, Ramistarum praecipue, contra quos disputatum haecenus à multis. *Conf.* l. c. *Mart.* *Th.* I. & *Scharff.* ib. §. 5. cum iis, qui in contrarium allegantur.

III.

Inde, qui per *Sapientiam* definire solent, rectius hanc vim penetrarunt, quam qui *scientiam* dicunt, vel *artem* vocant, non perpendentes, aut insufficientiam nominis, aut rei dignitatem ac universalitatem, à qua tamē *Transnaturalis*, vel *Transmundana* dicitur *Voëtio* *Prim.* *Philos. Reform.* c. 1. *Sect.* 2. & *Stablio* *Discurs.* *Tab.* 1. p. 33. b. & Θεολογική. *Arist.* 10. *Metaph.* 6.

IV.

Argumento satis est, quod omnia tribuat omnibus, ei tribuatur nihil, nec demonstrationes aliunde accipiat, quin potius suas aliis communicet, quae hic *Asylum* quaerunt, ac in ea *Custodia* tuti delitescunt, licet cum suis principiis ad incertas redactae fuerint, unde tota *Sapientiae* cardo in ea vertitur, teste *Scharf.* l. c. *Porism.* 2.

V. Qua-

## V.

Quare, qui illius institutis muniti, cuiq; , five Sophista sit, five alius, ire obviam possunt, cum terminos universalissimos, quibus saepe abutitur ille, in propria sede, tum explicatos, tum applicatos habeat, & principia, per deductionem ad impossibile, rite probata, ut docent Metaphysici.

## VI.

Ecce tibi arietem, eeu unum contra omnes: *Impossibile est idem simul esse & non esse*, qui multis succenturiatus, nulli oppressus, omnibus inserviens, plerisque, ac Logico inprimis, in sua velut indumenta mutabilis, quando dicit ille: *Non potest idem simul affirmari, & negari &c.* vid. Scherzer. Manual. Philosoph. Fonseca, Suarez, Themistius & innumeri plures.

## VII.

Qui contra nituntur, poenam à *Philosopho* habent, scilicet flagra pro demonstratione. i. Top. 9. quam universae rerum naturae nixam non vident. Patiantur, Avicennae ac Scoti iudicio, i. Sent. dist. 39. tam diu tormentis se, ac ignibus exponi, donec agnoscant, non esse idem verberari, ac non verberari, torqveri non torqveri, comburi & non comburi.

## VIII.

Verbo dicam: Scire facit omnes, ac bene scire, quod per affectiones universas, & alia disciplinarum capita, ipsamq; Theologiam, possit probatum dari, si praesentis instituti esset. vid. tamen. *J. Martini*. l. c. & in Part. Metaph. lib. I. Sect. I. *Scharf*. Dedic. Theor. Transcend &c. Festatur id quotidiana praxis Ecclesiae nostrae, & Patrum tempora. Ut enim haereses ex depravatae Philosophiae argutiis constare probant *Irenaeus*, & *Tertullianus*; Ita suam in hac scientiam stiterunt, ubi contra eos scripsisse legimus, praesertim. adv. Marc. It. adv. Hermog. &c. Unde hic de illo afferit, quod omnium doctrinarum curiosissimus explorator fuerit. lib. contr. Valent. Et de hoc *Lactantius*: Fuisse in omni literarum genere versatum. c. 1. Plura de Origine Hieron. in Catal. Script. &c. Id propter tam necessaria haec est, quam discas oportet, ut eò melius illis, qui talia Theologiae innexerunt, obviare possis, velut Sophista contra Sophistam. De Arianis ex Niceno Concilio, & Calvinianis, ac caeteris, experientia testis esto.

IX. Hic

## IX.

Huic Logica adstat, ceu *Ministra universalis*, quae, quicquid fidei suae concreditum est, ordine, ac decenti modo dirigit, ad intellectus quandam conformitatem cum rebus eliciendam, ex quo facta *Veritas*, quam *Logicam* appellant. Atque haec, in prioris modum, omnia vocat sub leges suas, Philosophos promiscue, ac Medicos, cum Theologis, ipse Ictus coram ipsius foro causam dicit, *nam errat quicumque sine lumine Logico in literis progreditur. Scaliger. Exerc. 359. fin.*

## X.

Nempe media tradit, quibus haec secundum mentis operationes rectè instituantur, unde triplex Logicorum veritas est, *Apprehensionis, Compositionis ac divisionis, & tandem Discursus*, quae omnia distinctè tractat, aliisque tractandi modum ostendit, quò nomine *ὄργανον ὀργάνων*, ac *χειρ φιλοσοφίας* dicitur. *Nold. Logic. Recogn. Proem. §. 1. p. m. 4. 5.*

## XI.

Praeceptis confirmata cuncta bene dividit, componit rectè, sistitque intellectui verum, ac genuinum sensum, enucleatum, & à Sophistarum argutiis purgatum, sic felicem Pancratiaften contra insultus, & discipulum ad caetera facilem efficit. vid. *Piccol. Philos. Mor. Grad. V. c. 13. & Hornej. Instit. Log. lib. 1. p. 1. de Nat. Log. qv. 2.*

## XII.

Malò suò experiantur id neglectores, & Erasistrati asseclae, qui nisi, ut ille à Galeno, quidvis absurdissimum contra se ipsos audire velint, ex veris praemissis conclusionem Logicam concedant, necesse est. Nec obstat quod dentur Cujacii, & Hippocrates, qui sine Logica emergere potuerint, sed paucae tales in nubibus Aquilae, quoniam Augustinus ingenuè confessus, omnes se disciplinas, at Logicam, sine Praeceptore, non didicisse. Verum quid *γλαῦκας εἰς Ἀθήνας*, sit prior **Regia Panfophies**, haec murus aeneus esto.

*Μόνον Θεῶν δόξαν.*





